





591
172

DE

IVRE REINFEVDANDI
BENEFICIA IMPERIO APERTA
SIVE MAIORA, SIVE MINORA,
DV RANTE INTERREGNO, SERENISSIMIS
IMPERII GERM. PROVISORIBVS ABSQVE
CONSENSV STATVVM IMPERII HAVD
COMPETENTE

COMMENTATIO

QVAM

PERMISSV ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRO

IMPETRATA DOCENDI LICENTIA

PVBELICO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

AVCTOR

1793, 1

IOANNES ACHATIVS RVDOLPH

IVRIS SCIENTIAE DOCTOR

ASSVMTO AD RESPONDENDVM SOCIO

IOANNE CHRISTOPHORO GEYER

ERLANGENSI

IVRIVM CANDIDATO

ERLANGAE

TIPIS KVNSTMANNIANIS

MDCXCIII





PROOEMIUM.

Beneficiorum constitutionem et hodiernum in contractu feudali a Vasallo cum Domino fendi vel ante inuestituram, vel simul cum ea, expresse sive tacite celebrato, prae primis promitti, per accedentem inuestituram illa vero demum acquiri, nemini sane, qui prima saltim jurisprudentiae Feudalis principia obiter tantummodo intelligit, incognitum esse poterit. Atque haud raro evenit, ut feudum quoddam rite semel constitutum, morte omnium in primi acquirentis inuestitura comprehensorum, aut commissa feloniam, iterum finiatur, dominoque directo fiat apertum isque nihilominus beneficium hac ratione ad semet ipsum reversum, aliis personis sub conditione fidelitatis feudalis de nouo rursus constituat,

quo casu *reinféudationem* a Domino feudi suscipi non incongrue existimamus, Et licet jus reinféudandi bona feudalia aperta in genere cuilibet competat domino directo, modo dominio liberaque de bonis suis disponendi morali gaudeat facultate, praetereaque eam sibi stipulari possit fidelitatem, quam natura feudi desiderat, adeo, ut ad ejusmodi reinféudationem regulariter quoque nullius consensu opus habeat; haec tamen bona feudalia aperta iterum inféudandi facultas magis restricta est, si de *feudis publicis*, speciatim iis, quae hodie *feuda Imperii* plerumque nuncupantur, quaestio obmouetur. Vt enim haec ex parte Imperatoris legitime fiat, secundum praescripta legum Imperii nostri fundamentalium, oppido mox consensus omnium Imperii Statuum, mox tantum unius alteriusue Collegii, necessarius est, modo feuda Imperii sic dicta *minora* exceperis. Scimus de caetero etiam, in Germania, durante interregno, *Summos Imperii nostri Vicarios* deficientis Imperatoris personam quodam modo

modo sustinere, illisque exercitium variorum
 jurium, vtpote juris praesentandi ad bene-
 ficia ecclesiastica, colligendi redditus et pro-
 uentus Imperii, atque juris inuestiendi de
 feudis et recipiendi juramentum fidelitatis
 vice et nomine Imperii, in *Aurea Bulla* ex-
 presse concessum esse, hosque generatim om-
 nia fere peragere posse, quae ipsemet Impe-
 rator, nisi quid specialiter ipsis reperiatur
 prohibitum. Quamobrem, cum ejusmodi pro-
 uisionis tempore, et fieri possit, vt unum
 alterumue Imperii beneficium fiat apertum,
 non incongrue hoc casu quaestio oritur
 an ipsis *serenissimis* Imperii nostri *Prouisori-*
bus quoque jus competat, feuda Imperii
 aperta, durante interregno, aliis de nouo
 iterum constituendi, nec ne? Res omnino
 ardua est, neque in legibus Imperii nostri
 penitus decisa, cum locus *Aureae Bullae*
 Cap. V. §. 1. huc minime quadret. Cum ita-
 que mihi jam impositum sit, pro impetrata
 docendi licentia, specimen quoddam non
 modo conscribendi, verum quoque ab aduer-

fariorum objectionibus, quantum fieri potest publice protegendi, de reinfeudatione *feudorum Imperii*, siue *majora* siue *minora* sint, vacante Imperio a summis *Imperii Vicariis* absque consensu *Ordinum Imperii* suscepta, inualida, jam paucis agere mecum constitui. Quae mea conamina, vt bonam in partem accipiant L. B., oro rogoque.

DE

IVRE REINFEVDANDI BENEFICIA
IMPERIO APERTA, SIVE MAIORA,
SIVE MINORA, DV RANTE INTER-
REGNO, SERENISSIMIS IMPERII GERM.
PROVISORIBVS ABSQVE CONSENSV STA-
TVVM IMPERII HA VD COMPE-
TENTE.

§. I.

Cum in praesenti de jure Vicariorum Im-
perii Germanici reinfeudandi feuda Im-
perii tam *majora*, quam *minora*, pauca pro
instituti ratione dicturus sim, quid nam pro-
prie sub *feudis* generaliter intelligendum sit,
imprimis nosse juuabit. *Feudi* vero vocem
triplici praeprimis sensu occurrere, adeo no-
tum est, vt opus prorsus superuacaneum mo-
liri existimem, si illud hoc loco argumentis
adhuc comprobare vellem. Nonnunquam
enim vel *rem* denotat, vel *jus*, i. e. domi-

A 4 nium

nium utile sub conditione mutuae fidelitatis feudalis in nouum Vafallum translatum; vel etiam ipfum *contractum feudalem*, quo proprie jura et obligationes definiuntur, quae inter dominum directum, ejusque vafallum locum habere debeant a). Is tamen significatus, quo *feudi* s. *feodi* vox pro *re* sumitur, optimus est, eumque et nosmet ipsi in praesenti adoptamus. Quamobrem *Feudum* secundum expressos textus Iuris feudalis longobardici, nimirum 2. F. 23. §. 2. 2. F. 8. pr. 2. F. 6., nihil aliud est, quam res, cujus dominium vtile, reseruato dominio directo, in alterum translatum est, sub conditione mutuae fidelitatis feudalis.

§. 2.

Feuda quidem diuersas admodum in species abeunt. Plurimas autem has diuisiones, quibus

a) Sciendam enim est, per solum pactum feudale dominium vtile in nouum vafallum neutiquam actu transferri. Id enim demum inuestitura atque traditione accedente perficitur.

quibus a se inuicem distinguuntur feudorum species, hujus loci non erit apponere i atamen generali illi diuisioni feudorum in *publica* atque *priuata*, et hic principem locum merito tribuimus. Dominium directum aliqujus feudi etenim vel penes rempublicam ejusque superiorem, *qua talem*, est, vel illud tantum competit cuidam priuato. Priori casu feuda dicuntur *publica*, posteriori autem *priuata*. Mittimus jam feuda priuata, atque de illis, quae publica vocantur, tantum adhuc anttoamus, non omne feudum quod cuidam imperanti competit, statim pro feudo publico haberi posse. Nam oppido feuda publica a folis feudis *imperantis* diuersa sunt. Illorum enim dominium directum competit Imperanti intuitu *imperii*; horum dominium superiori competit, *non quatenus cum ciuili imperio spectatur*. Cum vero imperans sine ciuili imperio spectatus non nisi priuatus sit: feuda etiam, quorum dominium directum competit imperanti, quatenus sine ciuili imperio consideratur, mere priuata sunt, et

extincta imperantis familia non transit eorundem dominium directum ad rempublicam. Econtrario, cum feudorum publicorum dominium directum, penes superiorem reipublicae sit vi *imperii civilis*; et imperans non tantum quoad imperium civile unam cum ipsa republica repraesentet personam, itaque de republica valeat, quod valet de Imperante, sed etiam extincto Imperante ejusque familia imperium civile ad ipsam rempublicam transeat, per consequens etiam dominium directum cum civili imperio conjunctum: patet, *dominium directum feudorum publicorum non tantum imperantis esse, sed etiam reipublicae, et illo extincto in hanc transire.*

§. 3.

Ea vero feudorum species, quae vulgo *publica* nuncupantur, itidem admodum diversa est. Pertinent enim ad illam tam *feuda Imperii*, quam *feuda provincialia*. Illa dicuntur, quorum directum dominium est penes Imperium Rom. Germ. eoque nomine simul penes

penes Imperatorem, qua *talem*; haec vero sunt talia feuda, quorum dominium directum pertinet ad Prouinciam Imp. Germ., ejusue Dominium territorialem, qua *talem*. Quamobrem, si bona publica prouinciae alii in feuda offeruntur, non semper sunt feuda prouincialia, sed tunc demum, si alii Domino territoriali offeruntur. *Feuda Imperii* iterum diuiduntur in *majora*, et *minora*, prouti habita consideratione qualitatis eorundem, et emolumentorum ex iis prouenientium, majus momentum ferunt, vt Electoratus, Ducatus, Principatus, Comitatus, Dynastiae atque Ciuitates, vel minus. Ex modo dictis uero patet, feudorum Imperii dominium directum itidem non tantum Imperantis esse, sed simul etiam *Imperii*, quemadmodum ex formulis in Appendice documentorum, quem Perill. G. L. Boebmerus Principiis suis Jur. Feud. Long. adjecit, et quidem ex Num. I. II III. V. VI. XIII. apparet. Eadem quoque ratione directum feudorum prouincialium publicorum dominium non tantum est Domini

ter-

territorialis, sed etiam ipsius *provinciae*, testimonio documentorum, quae *I. A. Koppius in den Proben des teutschen Lehnrechts, Part. II. Obs. 2. §. 2. 5.* adfert, in quibus frequens formula: *Vnd soll er darum Vnser, vnsern Nachkommen vnd Graffschaft (Herrschaft, Stifte) Mann seyn v. s. w. Vns, vnsern Nachkommen vnd Graffschaft davon getreu, Hold, geborsam vnd gegenwärtig seyn etc.* Cum enim vassallus et fidelitatis vassalliticae praestatio sint correlata domini directi, sequitur, quod illi dominium directum competat, cuius alter Vassallus est et cui Vassallagium praestatur. In feudis autem provincialibus Vassallus non tantum Domini territorialis sed etiam Prouinciae, vassallus est, nec illi soli, sed etiam huic, Vassallagium praestare debet. Ergo in hisce feudis dominium directum non soli domino territorii, sed etiam Prouinciae competit.

§. 4.

Quemadmodum vero omnia feuda, sic etiam ea, quorum directum dominium penes
Impe-

Imperium Germ. ejusque Imperatorem, quae
talem, est, siue haec sint *majora*, siue *minora*,
 praeprimis per infeudationem constituuntur.
 Iam si internam Imperii nostri constitutionem
 paulo curatius perpendimus, illico patet, in
 Germania soli Imperatori competere faculta-
 tem, bona Imperii, siue extra Germaniae li-
 mites, siue intra eosdem sita sint, infeudan-
 di. Haec vero infeudatio, vt valide proce-
 dat, opus omnino est consensu Statuum Im-
 perii Germ. Notum enim est, jus bona Impe-
 rii nostri alienandi, esse jus comitiale, adeo
 vt solus populi Germanici Imperans absque
 consensu Ordinum Imp. de rebus Imperii ni-
 hil vendere, vel oppignorare, aliove de iis-
 dem modo disponere possit. Iam vero quae-
 cunque infeudatio alienationem in se com-
 prehendit: Ergo quoque jus bona Imperii
 infeudandi comitiale jus est, ita, vt etiam
 sine vnanimi consensu omnium Statuum ab
 Imperatore rerum imperialium infeudatio fie-
 ri nequeat *b)*. Eadem quaque ratione rein-
 feuda-

b) Capitulatio nouiss. art. 10. §. 1.

feudatio bonorum Imperii Germ. quodammo-
do restricta est. Nam si feudum quoddam
Imperii Imperatori atque Imperio sit apertum
non immerito quaestio mouetur, an solus
Imperator illud iterum jure reinfeudare pos-
sit? Quoad reinfeudationem bonorum Impe-
rii vero feuda sic dicta *majora*, a *minoribus*
ac non regalibus ante omnia sollicite sunt
distinguenda. Et quod spectat ad feuda Im-
perii *majora*, Electoratus item a reliquis
feudis majoribus probe discernendi sunt. Cum
enim in *Aurea Bulla* cap. 7. §. 5. expresse cau-
tum sit, quod Imperator de Electoratus vacan-
tibus providere *possit*, ac *debeat*, idque *nec*
postea mutatum sit, cum in Capitulatione
Caroli V. Art. 24. quidem dispositum legamus,
quod feuda aperta in utilitatem totius Impe-
rii, ejusque Imperantium sint incorporanda,
sed nihil de Electoratus expresse dictum et
solummodo *der Fürstenthümer, Grafschaften,*
Herrschaften, Städte, und dergleichen mentio
facta sit; neque etiam verba *und dergleichen*
Electoratus comprehendant. cum hisce ver-
bis

bis *similia feuda* Principatibus; Comitibus
 e. s. p. hoc est, talibus, quae secundum
 alias leges non necessario reinfendandae erant,
 indicentur, et haftenus feuda Electoratum
 similia non sint: porro nec idem mutatum
 fit in Capit. nou. Art. 11. §. 10. cum ibi *mo-*
du reinfendandi tantum restrictus, adeoque
 non ipsa reinfendatio sublata sit: *Imperator*
ius et obligationem habet, Electoratus apertos
iterum reinfendandi, licet facultas reinfendandi
 Electoratus in se spectata sit jus communica-
 tum electorale, vt ex modo allegato passu
 Capit. nou. Art. 11. §. 10. discimus. Quod
 vero attinet ad reliqua feuda Imperii *majora*,
 praeter Electoratus, quaeque sunt *Fürstentü-*
mer, Graffschaften, Herrschaften oder Städte,
 haec Imperatori quidem itidem reinfendare
 licet, ast non nisi consensu Electorum atque
 Principum I. R. G. accedente. Si tandem eas
 feudorum Imperii species, quae in immedia-
 tis Imperii Ciuitatibus consistunt, reputamus
 jus easdem iterum reinfendandi ad consen-
 sum omnium Collegiorum Statuum Imperii
 no.

nostri adstrictum, adeoque jus communicatum comitiale esse, ex Capit nou. loco supra citato satis superque constat. Aliter quodammodo res sese habet, si de reinfeudatione feudorum Imperii *minorum* quaeritur. Ius enim ista feuda iterum aliis de nouo constituendi est reseruatim Imperatoris illimitatum, cum tale olim totum jus reinfeudandi fuerit, idemque quoad feuda Imperii *minora* nouioribus legibus neque penitus sublatum, nec limitatum sit.

§. 5.

Notum est fere cuilibet, durante interregno, ne quid detrimenti capiat res publica *Vicariis Imperii*, praeter alia jura, datum quoque esse exercitium quorundam jurium in dominio directo contentorum per leges et obseruantiam imperialem tamen determinantum *c*). Non immerito itaque hoc loco aliquis quaerere posset, vtrum ipsis *Vicariis Germ.* etiam jus competat, reinfeudandi feuda

c) Videfis Auream Bullam Cap. V. §. 1.

da Imperii saltim *minora*, Imperio aperta, sine consensu *Ordinum Imperii*? Atque hoc loco praemonendum esse censemus, nos tantummodo in praesenti de *Vicariis Imperii* verba facere, non vero de illis, quos *Vicarios Imperatoris regentis* nuncupamus. Magnam enimvero inter utrosque differentiam deprehendimus. Illos enim tales vocamus, qui imperatore regente deficiente, locum ejus tenent; hos vero, qui imperante regente non deficiente, sed solum impedito, ejusdem vicem sustinent. Hos enim feuda Imperio aperta siue majora, siue minora sint, nomine Imperatoris regentis, sed impediti, servato tamen ordine §. 4. recensito, reinfeudare posse, extra omnem sane dubitationem positum esse existimamus. In hac autem controversia, an nimirum Vicarii feuda ipsi Imperio aperta iterum reinfeudare possint, necne? dirimenda, iterum varias in partes descendere videmus Iuris Architectos. Sunt enim haud pauci, qui illud jus *Severissimis Imp. Prowisoribus* plane denegant, inter quos

B

alle-

allegasse sufficiat *I. Linnaeum* ad A. B. cap. V. §. 1. obf. 14. p. 240. *I. P. de Ludewig* in Comment. ad A. B. Tom. I. p. 563. *Alti* vero *Serenissimis Imp. Prouisoribus* dispositionem quidem de feudis Imp. minoribus ac non regalibus concedunt, non autem de illis, quae majora appellantur. Hujus sententiae fautor; extitit *M. H. Gribner* in Diff. de Iuribus *Vicariorum Imp.*, illis inprimis, quae perperam a nonnullis in dubium vocantur, pag. 30. Denique sunt, qui contendere studuerunt, *Vicarius Imperii* omnino competere facultatem, reinfeudandi feuda Imperio aperta, ita tamen, vt, quod saltim majora spectat, consensus Imperii Ordinum, speciatim Collegii Electoralis necessarius sit, quod inter alios fecit *H. G. Francke* in Programmate, de Iure Vicariorum Imperii de feudis Imperio apertis disponendi. In hoc dubio rerum statu, quid ipsemet sentiam, nunc paucis exponere liceat.

§. 6.

Nimirum si feudum quoddam Imperii, siue *majus*, siue *minus*, Imperio sit apertum, et de reinfeudatione ejusdem, durante interregno, quaestio mouetur, non quidem Vicariis jus eadem reinfeudandi penitus abnegari potest. Ex aduerso autem nec perperam statim haec facultas illis est adjudicanda. Si quid enim ego video, ante omnia hoc modo distinguendum esse arbitror. *Vicarii* nempe *Imperii*, qui vacante Imperio summi Imperatoris vicem sustinent, aut consensum omnium *Collegiorum Statuum Imperii* in reinfeudationem feudi aperti siue majoris siue minoris legitime requisierunt atque impetrauerunt, aut minus. Priori casu *Vicariis Imperii* omnino competit facultas feuda Imp. tam *majora*, quam *minora*, Imperio aperta, iterum reinfeudandi. Est quidem in *Aurea Bulla* et quidem cap. 5. §. 1. *Vicariis Imperii* omne genus alienationis seu obligationis rerum imperialem, hujusmodi prouisionis tempore



pore expresse interdictum, indeque, simul etiam reinfeudationem bonorum Imperii iisdem absolute prohibitam esse, forte quispiam reputare posset. De eo autem casu, quo summi Imperii nostri *Prouisores* antea consensum omnium Collegiorum Statuum Imp. in reinfeudationem bonorum feudaliu Imperii legitime impetrauerunt, in praedicto loco Aureae Bullae nihil expresse dispositumprehendimus. Quamobrem id vnice modo ex cap. 5. §. 1. A. B. fuit, quod nempe *Vicariis Imperii*, durante interregno, neque solis, neque cum consensu vnus alteriusue Collegii Statuum, v. c. vel Electorum, vel Principum feuda Imperii siue majora, siue minora, iterum reinfeudare liceat. Ex aduerso autem recte colligimus, cum consensu omnium Collegiorum Statuum Imp. *Vicariis* omnino competere facultatem, feuda Imperii tam majora, quam minora, ipsi imperio aperta, iterum reinfeudandi. Etenim omnes Imp. Germ. Status conjunctim sumti oppido jus habent, ipsam *Auream Bullam*, etsi fundamentalis lex sit,

fit, immutandi d), atque vacante Imperio *Vicariis* tales facultates concedendi, quae alias non habuissent, nisi inmutatio A. B. ex voluntate omnium Collegiorum Statuum facta esset. Iam vero omnes Imperii nostri Ordines conjunctim spectati *Auream Bullam*, actu mutant, *Vicariisque Imperii* novum jus, nimirum feuda Imp. aperta reinfeudandi licentiam concedunt, quando in reinfeudationem feudorum Imp. a *Vicariis* suscipiendam consentiunt. Quandonam itaque *Imp. Germ. Serenissimi Prouisores* consensum omnium *Statuum*

B 3 *Imp.*

d) Olim quidem aliquatenus dubium fuisse videtur, utrum *Aurea Bulla*, tanquam fundamentum Imperii nostri, ab Ordinibus totius Imperii mutari possit, nec ne? Interim cum lex tantummodo positiva, adeoque mutabilis sit, praeterea ex L. 35. D. de R. I. constet, nihil tam naturale esse, quam eodem modo aliquid dissoluere, quo colligatum est, non amplius dubitandum esse existimamus, quin et ipsa *Aurea Bulla* a *Statibus Imperii nostri*, quorum consensu praepremis lata est, illa lex iterum possit immutari.

Imp. antea legitime impetrauerunt, illis utique facultas competit, feuda *Imp.* tam majora, quam minora, vacante Imperio, reinfeudandi.

§. 7.

Quandonam vero consensus vnanimis omnium Collegiorum *Statuum Imp. Germ.* deficit, *Vicariis* quoque *Imperii* neque *solis*, neque cum consensu unius alteriusue Collegii e. g. *Electorum*, aut *Principum*, jus competit, feuda *Imp.* siue *majora*, siue *minora* sint, iterum reinfeudandi. Etenim feuda Imperio semel aperta, sunt *res imperiales*, atque earum infeudatio est alienatio, cum satis notum sit, quamcunque infeudationem alienationis speciem constituere. Sed in *Aurea Bulla* Cap. V. §. 1. in f. esse *Statuum omne genus alienationis rerum imperialium Vicariis Imp.* expresse interdictum est. Ergo, cum infeudatio alienationem in se contineat, simul quoque reinfeudationem feudorum Imperii siue majorum, siue minorum, Serenissimis *Imp. Prouisoribus* interdictam esse, prono fuit alueo. Et quod consensus vnus vel alterius *Statuum Collegii*

hic

hic non sufficiat, vel inde patet, quod *no-uum* plane *jus Vicariis Imperii* concedi nequeat absque consensu comitali, adeoque omnium *Statuum Collegiorum*. Quum tamen eo casu, quo tantum vnum alterumue Statuum Collegium in reinfeudationem feudorum Imp. ab Imperii *Prouisoribus* suscipiendam consensum suum declarauit, dici haud possit, consensum comitalem adesse, eoque ipso *Vicariis Imperii* nouum jus datum esse: *Vicariis Imp.* vel *solis*, vel cum consensu vnus alteriusue Collegii Statuum Imp., non competit facultas, feuda Imperii siue maiora, siue minora, Imperio aperta, reinfeudandi. Non desunt quidem, qui cum *H. G. Franckio* in Progr. de jure *Vi-car. Imp.* de feudis Imp. apertis disponendi §. 6. existimant, quoad ifeuda saltim maiora speciatim Collegii Electoralis consensum requiri. Et licet hoc concedam, solum tamen consensum Electorum neutiquam sufficere persuasus mihi sum, cum nefas esse crediderim, vni *Statuum Imp.* Collegio, attribuere, quod non nisi vniuerso *Corpori* competit. Solis enim

enim S. R. I. Electoribus facultatem leges Imp. fundamentales mutandi, Vicariisque noua jura praeter ea in A. B. iamjam definita, haud competere, in aprico sane positum est.

§. 8.

Dubia tamen permulta obmouere studuit *H. G. Francke* in Programmate, de Iure Vicariorum Imp. de feudis Imperio apertis disponendi; sed leuia sane, quemadmodum ex infra dicendis apparebit. Rationes potissimae in contrarium, quas *Franckius* adfert, hae sunt. Inquit enim, secundum *Ius Naturae* Vicarium succedere in omnia jura Imperantis ordinarii, cum quasi sit surrogatum principis deficientis, eosque quoque exercere posse jura maiestatica in *Aurea Bulla* non expressa. Affirmat porro, *Vicarios Imperii*, durante interregno, veros esse dominos directos, atque actus gratiae, vacante Imperio, a Vicariis regni susceptos, a nouo Imperatore necessario confirmandos esse secundum tenorem Capit. nouiss. art. 3. §. 18. Ex hoc vero porro con-

concludit, etiam reinfeudationes feudorum Imperii, cum ad actus gratiae sint referendae, a nouiter electo Imperatore confirmandos esse. Quibus omnibus denique subjungit, extare plura exempla, quibus efficitur, *Vicarios Imperii* etiam sine consensu omnium *Collegiorum Statuum*, modo, quod pertinet ad feuda maiora, adsit consensus Electorum, feuda Imperio aperta valide reinfeudare posse e).

§.

Verum non multum sane valent argumenta a *I. H. Franckio* in contrarium propofita. Nam primo Iuri naturali plane non est locus, vbi, quemadmodum in substrato casu, leges positivae in contrarium adsunt. Derogatum enim est in statu ciuili Iuri naturae per leges positivas, et quamdiu casus controuersus ex tenore legem ciuilium definiti potest, tamdiu adhuc silent praecepta Iuris naturalis. Alias enim sane prorsus mutiles atque nullius momenti essent leges positivae, atque

e) Vid. *Limnaeus* ad A. B. Cap. V. §. I. Obf. 14

atque decisio causarum controuersarum vbi-
uis secundum leges naturales *instituenta*. Et,
licet concedamus, Serenissimos Imperii Pro-
uifores, durante interregno, tanquam domi-
nos directos feudorum Imp. quodammodo
spectandos esse, inde tamen nondum sequi-
tur, eosdem id quoque posse, quod lege
quadam positua, vt puta A. B., prohibitum
atque interdictum est. *Tertium* vero, quod
profert *Franckius*, argumentum, plane falsum
est, nulloque innititur legitimo fundamento.
Hac enim ratione *Vicarii Imperii*, vacante Im-
perio, omnino plus juris haberent, quam
ipsi Imperatores, quorum vicem duntaxat su-
stinent (per §. 4). Cum vero Vicariis nun-
quam plus juris habere possit, quam ille ha-
bit, cujus vicem sustinet, merito tertium
hoc argumentum tanquam nullo genuino ju-
ris fundamento innitens rejicimus. Et, si
hoc etiam de nuda *administratione* intelligere-
tur, administrator tamen plus juris non ha-
bet, nec habere potest, quam ei a principali
suo datum est! Falsum itaque oppido est,

atque decisio causarum controuersarum vbi-
uis secundum leges naturales *instituenta*. Et,
licet concedamus, Serenissimos Imperii Pro-
uifores, durante interregno, tanquam domi-
nos directos feudorum Imp. quodammodo
spectandos esse, inde tamen nondum sequi-
tur, eosdem id quoque posse, quod lege
quadam positua, vt puta A. B., prohibitum
atque interdictum est. *Tertium* vero, quod
profert *Franckius*, argumentum, plane falsum
est, nulloque innititur legitimo fundamento.
Hac enim ratione *Vicarii Imperii*, vacante Im-
perio, omnino plus juris haberent, quam
ipsi Imperatores, quorum vicem duntaxat su-
stinent (per §. 4). Cum vero Vicariis nun-
quam plus juris habere possit, quam ille ha-
bit, cujus vicem sustinet, merito tertium
hoc argumentum tanquam nullo genuino ju-
ris fundamento innitens rejicimus. Et, si
hoc etiam de nuda *administratione* intelligere-
tur, administrator tamen plus juris non ha-
bet, nec habere potest, quam ei a principali
suo datum est! Falsum itaque oppido est,

Vicarios. Imp. quoque exercere posse jura ma-
 jestatica in ipsa *Aurea Bulla* haud expressa.
 Quod vero spectat ad *quartum* argumentum,
 quo suam sententiam *Franckius* corroborare
 annisus est, scilicet, actus gratiae durante
 interregno a Vicariis gestos, adeoque et re-
 infeudationes feudorum Imperio apertorum,
 a nouo Imperatore necessario esse confirman-
 dos, hoc itidem omnibus sane viribus plane
 destituitur. Nam vtique actus *gratiae* non
 est, quando ex aliena erumena liberales su-
 mus. Ergo quoque reinfeudatio feudorum
 Imperii a Vicariis durante interregno sine
 consensu omnium Statuum Collegiorum sus-
 cepta, pro tali non potest haberi, nec a no-
 uo Imperatore necessario est confirmanda.
 Et, si eiusmodi reinfeudatio vere esset actus
 gratiae, non tamen ad huiusmodi actus gra-
 tiae Vicarii Imperii jus habent, qui *specialiter*
 illis interdicti sunt, cum lex specialis semper
 et vbiuis derogat generali. Cogitandum prae-
 terea quoque est, eorum opinionem, qui,
 omnes actus gratiae a Vicariis, durante in-
 terreg-

terregno, exercitos, a nouiter electo atque coronato Imperatore necessario esse ratihabendos, existimant, oppido legibus Imperii nostri aduersari. Expresse enim ea de re in Capitulatione nouissima Art. 3. §. 18. disponitur, non nisi eos actus gratiae a nouo Imperatore confirmandos esse, in quorum exercitio Imp. *Prouisores* limites *Aureae Bullae* atque *obseruantiae imperialis* manifesto haud sunt transgressi. *Quintum* denique argumentum omnino maximi momenti esse videtur, cum ex istis exemplis facile quispiam consuetudinarium jus vel obseruantiam imperialem deducere posset. Sed parum et hocce argumentum curamus. Etsi enim inficias ire haud possimus, proflare huiusmodi exempla nonnulla, cogitandum tamen est, eadem esse, ita peracta, vt singuli actus a Vicariis in praejudicium totius Imperii ideo suscepti nequaquam ad notitiam vniuersorum *Statuum Imp.* peruenire potuerint. Quum tamen ad introducendam obseruantiam imperialem necessario desideretur, vt singuli actus consuetudinem

tudinem introductiui *publici* sint, etiam exempla, quae in contrarium profare videntur, et in quibus *Franckius* haud leue suae sententiae fulvi mentum quaerit, nobis neutiquam erunt aduersa. Supra enim satis superque docuimus, *Vicariis Imperii* sine consensu omnium Collegiorum *Imp. Statuum* facultatem feudatam maiora, quam minora, Imperii aperta reinfeudandi haud competere. Si itaque Imperii Germ. summi Prouisores, vacante Regno, vnquam tale quid sine praescripto Statuum suscipere moliti sunt, eorum conamina actus sine jure suscepti, adeoque nulli atque penitus inualidi erunt, ex quibus nunquam jus consuetudinarium euinci poterit. Plura quidem adhuc sunt, quae circa hanc materiam proferri potuissent. Cum tamen temporis ratio habenda sit, officio meo me in praesenti jam aliquatenus functum esse spero.


THE.

THESES.

- I. Testamenta Iure naturali sunt valida.
- II. Si dolo a tertio commisso ad paciscendum inducimur, pactum ideo non sit inualidum.
- III. Transactio super controuersis, quae ex ultimis voluntatibus, speciatim testamentis, proficiuntur, valet etiam nondum inspectis cognitue testamenti tabulis.
- IV. Electio in legato generis indefinite relicto, soli heredi instituto competit.
- V. Iuste exheredatus in computanda legitima omnino est communerandus.
- VI. Feudum a foemina acquisitum, ideo nondum est foemininum.
- VII. Si vassallus culpose tantum renouationem investiturae omittit, ideo nondum feudo priuatur.
- VIII. Valet euentualis iurijurandi delatio.
- IX. Non licet die quodam feriato praelectiones academicas continuare.

X. Non

-
- X. Non omnes raptores dolosi necessario capite
plectendi sunt, sed solum ii, de quibus lo-
quitur L. 28. §. 10. D. de poenis.
- XI. Exceptio metus, licet probata sit, in causa
criminali non semper a poena extraordinaria
liberat.
- XII. Veneficii poena ex mente Constitutionum Bran-
denburgicarum est rota.
- XIII. Error circa bona fortunae alterius conjugis
commisus, matrimonium minime reddit nul-
lum.
-



Erlangen, Diss., 1786-1818
X 242 1358





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

591
R2

DE
IVRE REINFEVDANDI
BENEFICIA IMPERIO APERTA
SIVE MAIORA, SIVE MINORA,
DVRANTE INTERREGNO, SERENISSIMIS
IMPERII GERM. PROVISORIBVS ABSQVE
CONSENSV STATVVM IMPERII HAVD
COMPETENTE

COMMENTATIO

QVAM

PERMISSV ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS

PRO

IMPETRATA DOCENDI LICENTIA

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTIT

AVCTOR

1793,1

IOANNES ACHATIVS RVDOLPH

IVRIS SCIENTIÆ DOCTOR

ASSVMTO AD RESPONDENDVM SOCIO

IOANNE CHRISTOPHORO GEYER

ERLANGENSI

IVRIVM CANDIDATO

ERLANGAE

TYPIS KVNSTMANNIANIS

MDCXCIII.

